

Sächsische

4

A

7484

Landesbibl.







ORATIO  
DE  
DIFFERENTIA UETERIS EDUCATIONIS  
AC NOUAE  
AD  
DIRECTORIS  
GYMNASII ZITTAUIENSIS

MUNUS AUSPICANDUM

IN  
CONSESSU SPLENDIDISSIMO  
A. D. XV. KALENDAR. APRIL.  
MDCCLXXXIII.

HABITA

*a*  
*M. Carolo Henrico Sintenis.*

ZITTAULÆ TYPIS GOTTLIB BENI, FRANKII.

1783



GRATIS

181

DEPARTMENTIA LETTERIS EDUCATIONIS

AC NOMINE

AD

DIE BOCH

GYMNASII

Landbibliothek  
4. MAI 1964  
Dresden

6

LIBRARY

181

Dr. Carolus Henricus

DEPARTMENTIA LETTERIS EDUCATIONIS

181





*Viri & generis nobilitate, & gloria maiorum, &  
doctrinae ac meritorum laudibus maxime  
conspicui,*

*Vir Perillustris, Viri Generosissimi, Consules Magnifici, Viri Iuris-  
consultissimi, Excellentissimi, Viri summe Venerabiles, Ex-  
perientissimi, Amplissimi, Doctissimi,  
Maecenates, Fautores, Praeceptores huius Gymnasii Clarissimi, Tuque co-  
rona iuventutis, spes religionis, patriae & parentum, deliciae praece-  
ptorum suavissimae!*



*S*alue, *Zittavia suavissima*, salue! hæc erat animi mei, præ  
gaudio atque lætitia intime gestientis, salutatio, cum hu-  
ius urbis tures atque moles procul uiderem, & in præ-  
sentia, quamquam iam aliquot dies intra eiusdem urbis  
amœnissimæ mœnia ut commorarer mihi contigit, tamen  
in confesso tam splendido publice illam repeto: salue, *Zittavia suavissima*,  
salue! Hodiernus dies notatu dignissimorum totius uitæ meae præcipuus  
est, neque uerbis exprimi potest, quam uehemente gratissimi animi impul-  
su, ad gratias persoluendas inciter, quantoque hilaritatis sensu reficiar ac  
recreer. Placuit enim *Vobis, Viri Magnifici, Vobisque* reliquis, *Maecena-  
tes Amplissimi*, Directoris huius Gymnasii munus, idque maxime honorifi-  
cum, mihi demandare, & præsens hora felicissima illa faustissimaque est,  
A 2 qua



qua idem munus solemnī ritu mihi imposuistis. Quot, quantumque igitur est, quod Deo & *Vobis* debeam! quam insigni ornamento a Numine diuino *Vobisque*, *Maecenates*, augeor! totus animus meus, pietati iam deditus, omnes facultates ad id intendit atque dirigit, quo et diuinæ providentiæ, et *Vestri* Patrociniī benignitatem atque magnitudinem amplificet, amplificatamque celebret. Quoniam uero hæc a maioribus tradita est consuetudo, quæ & mihi iucundissima est, ut, adeundi muneris causâ, orationem ex hoc loco habeam, *Vos*, *Consules Magnifici*, *Vosque* reliquos, *Maecenates splendidissimi*, omni obseruantia atque humanitate rogatos cupio, ut mihi dicenti aures prius præbere uelitis benignas, quam ad ipsam gratiarum actionem progrediar.

*Habemus liberos paruos, incertum est, quam longa nostrum cuiusque uita futura sit, consulere uiri, ac prospicere debemus, ut illorum solitudo & pueritia quam firmissimo præsidio munita sit.* Quoties huius loci *Ciceroniani* mihi in mentem uenit, toties haud scio, quo impulsu ad multo maiorem adhuc eius auctoris amorem inciter, quantoque uitæ scholasticæ studio, cui iam totus inde a iuuentute deditus fui, denuo capiar? luculentissimum sane tenerrimi animi *Ciceronis* mei documentum exhibet, quod, quo magis hunc elegantissimæ Latinitatis Censorem colo atque ueneror, eo arctiori familiaritatis uinculo me cum illo consociat atque coniungit, & quid est, quod ad augendum uiri, in palæstra uitam degentis, animum plus conferat, quodque salutis iuuenum, ipsius institutioni atque fidei commissorum, uehementiori desiderio illum incendere atque inflammare possit, nisi idem ille locus, quem in præsentia attuli? *Verres*, Siculorum iste prætor, qui ad omnia scelera atque flagitia promptissimus paratissimusque fuerat, quique inhumanitatis, imo crudelitatis atque sæuitiæ culpam sibi contraxerat, illaque contracta commune odium iure meritoque sibi conflaret, *Verres* igitur puerum quendam, quem pater moriens tum tutoribus et propinquis, tum legibus, tum æquitati magistratum, tum iudiciis romanis commendandum putarat, scelerata locatione nefarioque latrocinio bonis patriis fortunisque omnibus ita spoliarat, ut, in iudicium ab isto prætore uocatus, uel sine bulla uenire cogeretur, quod pueritiæ ornamentum, iudicium atque insigne fortunæ, pater illi dederat, iste uero prædo eripuerat. Quod im-

mani-



manitatis fordidaeque auaritiæ exemplum tam grauius non solum & acerbè ferebant homines, ut lacrimas populares effunderent, sed ipse *Cicero* etiam hunc puerum luget, lacrimasque ciuium eius laudat, propterea quod communis sit causa, commune periculum, communique præsidio talis improbitas, tanquam aliquod incendium, restinguenda, simulque adiicit hanc rationem, *habemus enim, inquit, liberos paruos, incertum est, quam longa nostrum cuiusque uita futura sit, consulere uiui, ac prospicere debemus, ut illorum solitudo & pueritia quam firmissimo præsidio munita sit.* Quam accuratorem uerborum seriem si missam fecerimus, quos stimulos parentibus addit *Cicero!* quantam industriam, quantamque curam illis iniungit, qua præcipuum, quod natura atque patria ab ipsis non tam postulet, quam potius exigat, positum putent in religiosissima studiosissimaque liberorum educatione! *Paruos, inquit, liberos habemus,* siue tam teneros a natura, tamque impotentes, inermes, defensionisque suæ curandæ incapaces, ut uel minimum, quod ipsorum felicitas desideret, sibi comparare atque conciliare nequeant. Corpora illorum nonne tanta membrorum imbecillitate laborant, ut nihil omnino sit, quod & securitati, et conseruationi dare possint, mentisque uires, densissimis tenebris inuolutæ, nonne multo infirmiores inueniuntur, quam quæ ad periculorum grauitatem propulsationemque iudicandam intendi possint? Omnia, quæ ad ipsorum prosperitatem conducere uideantur, ipsis ut parentum cura atque tutela præbeat, necesse est, sibi solis relictæ, aliorumque subsidio destituti, ipso statim die ortus interirent, non quidquam a parentibus intermittendum est, quod ipsorum bonæ ualitudinis interest. Quid? *incertum est,* sic pergit *Cicero, quam longa nostrum cuiusque uita futura sit,* quasi dicere uelit, quotusquisque est, quin, ipsi liberos si Deus educandos commiserit, hoc in optatis, iisque ardentissimis, habeat, ut tam diu uita ipsi a Deo conseruetur, donec liberi eo ætatis atque intelligentiæ progressi sint, ut mentis cognitione animique integritate confirmati, ueræ salutis suæ consulere possint? num uero omnes parentes uoti huius tenerrimi a Deo participes redduntur? quam lugubris, quamque funesta potius multorum liberorum fors atque fortuna est, qui, maturationem parentum iacturam dolentes, uix mentis collustrandæ uoluntatisque emendandæ fundamenta iecerunt! quid igitur salubrius, quid magis necessarium est, nisi hoc, ut parentes uitæ breuitatis rationem habeant, utque omni studio omnique sollicitudine ad id incumbant, quo mature pro-



spiciant, ut *liberorum solitudo & pueritia quam firmissimo praesidio munita sit?*  
 quid contra tristius, quid luctuosius, imo magis improbum sceleratumque  
 cogitari potest, quam hoc, permultos reperiri parentes, qui parum curae  
 cordique habeant, quid liberis post mortem suam accidat, quaeque miseria  
 atque calamitas illis impendeat? reliqua omnia, quae ad uitam praesentem  
 pertinent, multo studiosius atque diligentius tractant, quam liberorum  
 ad uirtutis sapientiaeque disciplinam fingendorum formandorumque curam,  
*corradunt*, ad illiberalissimas sordes abiecti, opes atque facultates fragiles  
 & caducas, de liberorum uero salute, tam praesente, quam futura, parum  
 sunt solliciti. Horrenda sane humanitatis monstra atque prodigia! indi-  
 gnissima, quae gloriae plenissimo Christianorum nomine insigniantur! quid  
 hominum generi suauius, quid dulcius a natura datum est, quam sui cui-  
 que liberi? quantae grauitatis erit aliquando ratio Deo reddenda! quid  
 patriae grauiora uulnera infligere potest, quam istiusmodi parentum negli-  
 gentia? quae ciuitas futurae aetati succrescit? Gratias uero agamus Deo,  
 tam sapienter atque benigne pro salute hominum publica excubanti,  
 ut plurimis parentibus tam sincerum atque integrum liberorum amo-  
 rem instillet, ut omnem operam omnemque assiduitatem ad id ad-  
 hibeant, quod illorum felicitati, eique uerae, inseruiat! gratias agamus  
 Deo, quod hac ratione & domesticam & publicam prosperitatem confirmat  
 atque corroborat! plurimi enim parentum religioni sibi ducerent, nisi ma-  
 ximam curam maximamque industriam illi negotio impenderent, quod ipsa  
 natura hominibus iniunxit. Nihil prius, nihil antiquius habent, nisi  
 hoc, ut liberi saluberrima tam religionis sanctissimae, quam artium utilissi-  
 marum cognitione mature imbuantur, atque uirtutis amore atque studio,  
 uitii uero odio atque tadio incendantur, quo facilius, uita ad normam diui-  
 nam exacta & composita, ueram hominis dignitatem consequi, & literarum  
 artiumque institutione tam suae commoditati, quam patriae utilitati consulere,  
 uerbo, quo facilius & praesentis temporis, & futurae aeternitatis felicitatem  
 quameunque sperare possint. Quanta ueneratione quantaque obseruantia  
 eiusmodi parentes nobis prosequendi uidentur! quid est, quod amplius  
 optandum restet, nisi hoc, ut splendidissimorum illorum exemplorum nume-  
 rus in dies augeatur, utque omnes in uniuersum parentes illorum uesti-  
 gia premant, certissime persuasum habentes, ueram liberorum salutem non  
 honoribus, diuitiis, aut uoluptatum atque mollitiei deliciis, sed mentis ani-  
 mi-



mique emendatione, eaque sola, niti, illosque ipsos, hanc si contemserint, atque despexerint, in calamitatem detrudi luctuosissimam. Quid uero amantissimos quosque parentes hac nostra aetate praecipue angere potest? quid illorum animos, liberorum educationis studiosissimos, dubios atque ancipites reddere potest? Aetas nostra, quae sapientiae radius tantopere collustrata praedicatur, ut antiquitatis pristinorumque saeculorum memoriam paene omnem deleat atque exstinguat, aetas, inquam, nostra etiam eo sagacitatis in inueniendo progressa est, ut longe aliam educationis disciplinam, quae ueterem & a maioribus receptam superet, nobis magistris iterum iterumque commendaret, neque desiderantur uiri, qui gloriantur, se facta exploratione, hanc recentiorum temporum erudiendi rationem multo saniolem melioremque reperisse, ita, ut praecones illius esse deberent. Quid inde? nonne parentum fidelissimi quique anxia quadam sollicitudine affligi possunt, inscii atque ignari, quam institutionis normam eligant? ueterem, an nouam? quae uero dubitatio illis grauior, quae aeterna illis tristior esse potest? cupidissimi sunt liberorum salutis, & alii laudant antiquam, alii recens inuentam educandi consuetudinem. Solemnitati igitur hodierni diei conuenientissimum putauit, de differentia ueteris & nouae educationis si dicerem, quia uero hoc discrimen triplex est, ratione *religionis, humanitatis, artiumque illiberalium*, & praesens differendi tempus non sufficit, ad integram hanc commentationem absoluendam, hinc in praesentia de hac differentia sic modo disputabo, ut ad *religionem*, eamque solam, respiciam. In *Abbatis nimirum summe Venerabilis, Reseuitii*, commentariis, qui consilia de corrigenda scholarum conditione suadent, & quidem tomo illorum secundo, inueni comparationem aliquam, hanc differentiam spectantem, cuius auctor in fine addidit literam R. isque tam iniquum in maiores, tamque facilem in recentiores se gesit, ut, ad sanctissimam religionem quod attinet, pristinae disciplinae scholasticae non solum omne pretium denegaret, sed illam etiam tam criminose describeret, ut ridicula, absurda, & absurda uideretur. Ego qualemcunque huius scripti auctorem reuerenter colo, neque emendationi cuiusque in palaestra hostis sum, nunquam uero debita, quae putatur, reuerentia eo deducere me poterit, ut putem, illi in defendenda ueritate aliquid concedendum esse, illique emendationi, quam corruptionem atque deprauationem nominarim, semper aduersabor, non disputandi studio, sed scholarum salutis desiderio, incensus.

Prae-



Præbeatis igitur, *Auditorès*, ut uos iam antea obseruantissime humanissimeque rogauì, ipsi, ad quam nunc progredior, orationi aures attentas atque beniuolas!

Antequam ipsam comparationem illam, quam scriptor iste *Reseruitianus* ueterem inter atque recentiore[m] educationem instituit, ea, quam tantæ grauitatis negotium postulat, animi attentione contemplemur, opus est, ut uaria præmuniam, quæ et ipsi contemplationi inservire, magnamque suspicionem contra comparationem illam unicuique a partium studio abalienato iniicere possunt. Primum, quod mihi statim ab initio monendum uidetur, cernitur in eo, ut quæram, quis rei scholasticæ Censor, isque non minori fide, quam dexteritate, ornatus, tantæ sit in iudicando seueritatis atque acerbitatis, ut peruersam istam atque inutile[m] docendi rationem, quam unus itemque alter scholæ magister in iuuentute instituenda olim obseruauit, & vel adhuc obseruat, ueterem nominet? non semper, et ubique fere locorum eiusmodi etiam uiri inuenti sunt, qui prudentiori salubriorique disciplina in fingendis formandisque ingeniis, tam puerilibus, quam iuuenilibus, uterentur? num peruersitas atque doctrina umbratica ista, cuius antiquitas in erudiendo his nostris temporibus accusari solet, tam late patuit, ut omnes omnino scholæ, illarumque præfecti, uituperari mererentur? denominatio ista ueteris educationis nimis ampla atque fere communis et uniuersa uidetur, neque quidquam aliud spectat, nisi hoc, ut iis, qui interior[em] rei indolem perquirere ignorent, quique in externo atque fortuito acquiescere debeant, fastidium antiquitatis excitetur. Omnes, qui nostra aetate ludorum emendatores prædicantur, usu edocti sciunt, plurimos fere hominum nouitatis desiderio atque cupiditate teneri, omniaque plerumque auersari, quæ uetusta & pristinae ætatis consuetudine recepta sint, hinc, leuitati huic temeritati-que indulgentes, uetustatis odio homines magis magisque implent, rerumque recens inuentarum pulchritudinem atque præstantiam nimium quantum exaggerant atque amplificant. Mihi uero, ut uere dicam, quid sentiam, mihi luculentissimum inopiæ atque infeitæ recentiorum rei scholasticæ Vindicum atque Statorum documentum uidetur, quod, sua de ludorum salute merita probantes, ad id confugere debent, quod pristinorum sæculorum magistris, iisque imperitis atque parum idoneis, in culpam uertitur. Alterum,

rum,



rum, quod prius monendum iudico, quam ad ipsam ueteris & recentioris educationis comparationem explorandam progrediar, uersatur in eo, auctor illius scripti, quod *Resewitii* commentariis insertum legitur, ueterem, quam uocat, educationem tam inuidioso tamque exulcerato animo descripsit, ut consilium, quod consequendum sibi proposuit, facillime, et primo quasi adpectu appareat. Nihil enim ut dicam de loquendi formis, sale quidem conditis, sed non adeo magni iudicii acuminis speciem præ se ferentibus, quibus a maioribus acceptam iuuentutis formandae disciplinam perstringere, atque risui iocoque exponere conatus est, hoc certe, quod sum dicturus, neque praetermittendum neque relinquendum est. Omnia mala, quæ necessario ex recentiori institutionis norma, tanquam ex fonte turbulentissimo, emanant, ueteri tribuuntur, huic porro eiusmodi incommoda adscribuntur, quorum origo indoctis atque imperitis doctoribus, nequaquam illi ipsi, uindictanda uidetur, recentioris denique pretium atque præstantia tanta copia tantaque ubertate extollitur, ut quidquid boni cum pristina commune habeat, id illius proprium nominetur. Sic pericula, ex morum rusticitate atque inscitia in administrandis munerum negotiis, procurandisque uitæ subsidiis deriuanda, ueterum educandi consuetudini iustam ac debitam animaduersionem conciliare dicuntur, quæ tamen multo maiori ueritatis specie recentiorum inuentis scholasticis odium inimicitiamque contrahunt. Libera enim illa, aut, nisi modestiæ in conuincendo repugnat, effrenata ista uiuendi ratio, cuius ad morem uel pueri iam, pro renouata scholarum conditione, adducendi putantur, quid magis uerendum relinquit, nisi hoc, ne isti pueruli, molitiei atque licentiæ adsuefacti, succedente tempore omnem non modo urbanitatem, sed ipsam etiam honestatem, negligant? docendi ista ratio, quæ, contemptis cognitionis fundamentis, fucatae eruditionis gloriam captat, quid præstat, quidque efficit? nonne fingit homines, qui in obeundis munerum publicorum officiis inertiae atque ignorantiae nota digni uideantur? de quo permulti Doctorum academicorum grauissimas querimonias mouent? non de eo, quod iuuenum, scholas relinquentium, tanta sit inscitia morumque asperitas, ut futuræ ætatis fors deploranda uideatur? quid tunc temporis eueniet, si, abrogata et proscripita maiorum disciplina, eaque seueriori, recentiorum inuentis omnia dederis? deinde, quis pristinae educationis studiosus, eo stuporis absurditatisque progreditur, ut, quo nomine iste *Resewitianus* scriptor eum reprehendere uult, existimet, hanc esse admirandam pueri atque



iuuenis intelligentiam, si multa memoriae impresserit, quæ enarrare possit? res non satis perspicue intellectas non facile quisquam, nisi qui unicuique negotio aptior, quam scholastico, natus censeretur mereatur, pueris et iuuenibus commendabit aut iniunget memoriae infigendas. Quis uero tam egregie rudis atque expers est ingenii humani, quin sciat, maximæ hominum parti non facile esse, singulorum culpam segregare ab innocentia uniuersorum, primumque esse natura animum humanum, ad uitia hominum cum rebus communicanda? Quod denique scriptor iste de noua educandi disciplina, eaque sola, prædicandum iudicat, id omne eiusmodi est, ut etiam pristina sit commune, quæ non minus, quam illa, ad attentionem excitat, linguam patriam colit, & uere christianos sensus instillat, hoc tantum prætermisso, quod *Socinianismo* atque *Arrianismo* fauet, cuius utriusque, ut in sequentibus comprobabo, auctor huius scripti, in quo conuellendo iam uersor, studiosissimus reperitur. Hæc igitur, prius proferenda censui, quam ad ipsam ueteris & recentioris educationis differentiam, *religionis* ratione habita, animos *Vestros, Auditores*, intenderem. Nunc altius progrediar, *Vosque* iterum iterumque rogatos cupio, ut utriusque educationis comparationi, quam scriptor ille *Venerandi Abbatis* instituit, eiusque accuratiori contemplationi, aures mentemque præbeatis beniuolam. Optima tractandi huius argumenti ratio hæc erit, priori loco ueteris educationis partes eodem ordine recensebo, quo auctor huius comparationis easdem recensuit, deinde ad recentiorem transgrediar, eiusque indolem interiorem eadem fide, quam religiosissimus quisque inimico uel infensissimo debet, proponam, ut facillimo negotio de uera utriusque conditione iudicare possitis. Quinque partes sunt, quibus ueterem educationem contineri putat aduersarius, suntque sequentes: *institutio libelli, qui prima doctrinae sanctioris rudimenta complectitur, siue catechismi, quem pueri ediscere debent, prouocatio ad locos librorum diuinorum male explicatos & inique accommodatos, conformatio disciplinae ad complexum religionis christianae, qui Athanasianus dicitur, instillatio morum acerbitatis atque difficultatis una cum inertia ad exsequenda munerum publicorum officia, denique commendatio quarundam formarum precandi pro impetranda a Deo salute.* Quanta est, *Auditores*, admiratio ad quam *Vos* abreptos sentio! quid est, quod præter omnem opinionem, & minus expectatum *Vobis* accidere uideatur, nisi hoc, quod tam inuidioso, ipsique religioni sanctissimæ proxime aduersante animo, pretium educationis illius deminuitur,



tur, cui *Vos* ipsi, omnesque alii, et eruditione, et honorum splendore conspicui, omnem dignitatem suam amplitudinemque debent? Equidem non vereor, ne patientia *Vestra* abusus iudicet, hac in descriptione partium veteris educationis paullulum diutius ut commoremur, si *Vos* rogauero. Libellus ille, qui prima doctrinae sanctioris rudimenta complectitur, nonne breuissimam viam monstrat, quam sequi possit scholae magister ad erudiendam pueri mentem? nonne aetatis puerilis uiribus conuenientissimam continet disciplinam? Ego non is sum, qui diffitear, hanc instituendi rationem, quam catechismus, qui dicitur, indicet, praceptor si eundem quaestionum ordinem, hoc in libello praescriptum, nulla ingenii puerilis differentia adhibita, semper & ubique locorum obseruandum putet, inutilem atque absurdam esse, quis uero prudentiorum rei scholasticae Censuram eo reprehensionis progredietur, ut integrum hunc libellum e scholis propulsandum exterminandumque existimet? catechismus cum puero iterum iterumque legitur, quod igitur prima institutione, ob puerilium uirium inopiam, praetermissum est, id secunda, tertiaque compensatur & restituitur, sed quid multa? *Russauiz* consilio pueri ad togam uirilem nihil de religione audiunt, omnibus uanitatibus adsuefacti, & huic peruersae, aetatis uero praesentis leuitati respondent, educationi consulere uoluit scriptor ille *Reseuitianus*, quam si in praesentia eadem, qua par esset, orationis ubertate infringere atque conuellere constituissem, limites dicenti praescriptos transgrederer. Sequitur prouocatio ad locos librorum diuinorum male explicatos & inique accommodatos. Auctor huius scripti, quamuis generis nobilitate atque splendore sit illustrissimus, quam insignem oraculorum sacrorum, eorumque interpretationis, intelligentiam habeat, hoc scio una cum ignarissimis. Sit tamen uel peritissimus huius artis, omnesque alios Viros, qui diuinae sapientiae se consecraverunt, mentis acumine longe multumque superet, nihilo minus candide atque integre contendo, illum committere fallaciam, quae a Dialecticis uocetur *petitio principii*. Librorum sacrorum interpretatio uix dici potest quanta incrementa hac nostra aetate ceperit, ut in reliquis intelligentiae humanae principiis atque opinionibus, ita etiam in doctrina, quae normas atque leges explicandi tradit, res nunquam eo erit perducenda, ut communi consensu & concordia inuicem concilientur animi, neque in ulla arte, pro qualibuscunque unius itemque alterius, quae explicationi supposuit, fundamentis, facilius quis errasse putari potest, nisi in hac arte, quae in exponendo atque interpretando



uersatur. Quotusquisque tamen est exquisitæ institutioni operam dans, quin  
 eas in locorum sacrorum mente indicanda sequatur regulas, quæ unicuique  
 loco, pro serie contexta, atque usu loquendi, sint conuenientissimæ, quas-  
 que sequi soleant Viri in literis diuinis uersatissimi, iique ab recentiori, quæ  
 pristinarum sectarum errores, sexcenties iam infractos, rursus in lucem protra-  
 hit, corrumpendi libidine remotissimi. Quid uero dicam de eo, quod auctor  
 huius scripti, cui præsens aduersatur oratio mea, ueterem educationem repre-  
 hendendam censet propter conformationem disciplinæ ad complexum religi-  
 onis Christianæ, qui *Athanasianus* dicitur? ego toto animo & corpore contre-  
 misco! uix pectoris sensus reprimere possum! non luculenter aduersarii mei  
 animus, quid uero tam ambigue atque obscure loquor? non luculenter eius in  
 religionem apparret odium? non mysteria, quæ Christianismi essentiam con-  
 stituunt, uiresque bene agendi præbent, non rationes modo permouentes,  
 exterminare & proscribere tentat? non euidentissime comprobat, ipsum  
 hodiernis *Christianis Naturalistis*, (quo nomine se insigniunt,) anume-  
 randum esse, qui solam Theologiam naturalem ac moralem proponendam  
 censeant? At uero fortasse dicet quis, partibus aduersarii mei haud aba-  
 lienatus, me in disputandi feruore parum consulere æquitati, propterea quod  
 ex eius uerbis plus colligam, quam primo adspectu colligere liceat, dum  
 pueros modo, ad res diuinas cognoscendas parum aptos, religionis mysteri-  
 is initiari uituperet, nequaquam ipsa mysteria ex religione proiciat. Sed  
 prius mihi ipse uim afferrem, quam illi, a quo dissentio. Cur tam abiecte  
 sentis de pueris? artium principia percipiunt, cur non religionis quoque,  
 perspicue explicata? ad mysteria uero, de quibus iam dissero, quod atti-  
 net, neminem quidem inuenies, qui neget, illa *ratione modi & causæ*,  
 captu humano, esse superiora, sed *ratione rei ipsius*, a Deo declaratæ, ab  
 unoquoque possunt & debent credi. Quæ cum ita sint, quid est, quod ini-  
 quitatis in aduersarium commissæ accuser? non *testis cuniculis*, sed *aperto*  
*Marte*, oppugnat religionem sanctissimam, cuius amantissimus quisque ui-  
 tam prius, quam fidem pro illa uindicanda, deponit. Iam, quid statuerim  
 de instillatione morum acerbitalis atque difficultatis, una cum inertia ad  
 exsequenda munerum publicorum officia? hæc quarta criminatio est, qua  
 aduersarius ueterem insectatur educationem. Quod si hæc uiuendi ratio  
 elegantissima putatur, quæ lubricæ atque molli ætati nostræ probatissima  
 est, non diffiteor, pristinam scholarum educandi rationem illi non esse ac-  
com-



commodatissimam, sed mihi multo maioris constat uera & prudens morum atque uitæ elegantia, ut religioni mihi ducam, istiusmodi *fatuorum cerritorumque ardelionum* ineptias iuuenibus, regia uia ad sublimioris fortunæ cultum excitandis, falsis fictisque laudibus commendare. Mores uenuste & eleganter formati, *me iudice*, nihil aliud, uisi uitæ honestatem atque humanitatem, cum dignitate quadam copulatam, complectuntur, & cuilibet scurrilis morum præsentium uenustatis parum studioso iudicandum propono, quid melius, salutique iuuenum conuenientius censeat, temperatum pristinæ ætatis rigorem, & uirilem illam seueritatem, an effeminatam istam & nimis delicatam morum præsentium uenustatem, quæ frenos laxiores mollitiei permittit, quæque uerendum relinquit, ne pueri, nostræ ætatis stimulis concitati, nullo modo domari & cohiberi possint. Inertia uero ad exsequenda munerum publicorum negotia, cuius maiorum educandi ratio ab aduersario meo conuinci posse creditur, risum unicuique mouet, cuius ad aures querimoniarum summorum Virorum de inopia hominum, ad obeunda munera idoneorum, penetrarunt. Peruersa ista docendi ratio, quæ, neglectis *Grammatices & Critices* principiis, omnes in uniuersum difficultates, *easque uel minimas*, & puero, & iuueni remouet, ut omnia rideant, quasi eluione quadam inutilissimorum homunculorum nos inundatos opprimit. Quid uero restat ab aduersario prolatum, quo ueteri educationi odium tædiumque contrahat? commendatio precum pro impetranda a Deo salute. Per Deum immortalem, uix oculis in legendo fidem habui! istiusmodi quid, quod ab humana tantum educatione tam uehementer adhorreat, me nunquam legere memini! quæ familiaritas homine dignior, quæ ipsi utilior, atque præstanior est, nisi ea, quæ ipsum inter atque Deum intercedit? ad hanc pueri non mature putentur adducendi? quid illis tristius, quid crudelius accidere potest? quid detestabilius, quid magis execrandum excogitari possit, ego sane non uideo. Quodsi formæ, quæ dicuntur, precandi hac ex ratione non probantur isti mihi aduersanti, propterea quod Mechanismi metum iniiciunt, perpendat, quæso, liberos nostros, illis destitutos, pauca, aut omnino nihil habituros esse, quod precentur, nosque facili et apta ratione impedire posse, quo minus consuetudinis potestas attentionis uim infringat. Solas preces, sine assiduitate, huc usque nunquam commendauimus, quia probe scimus, Deum in gubernando uniuerso non edere noua prodigia, sed industria animique intentio, precibus non suffulta, non prospere succedet, si prouidentiarum adiumentum desideratur. Videatis



uero, *Auditores*, hæc ista sunt, quæ scriptor ille *Reseuitianus* ad infamandam ueterem educationem attulit, *Vos* ipsi nunc iudicetis, quæso, quid *Vobis* de animi ejus indole, siue potius procliuitate, ejusque reprehensionibus, ex illa deriuandis, uideatur atque placeat, ego ad alteram orationis meæ partem progredior, in qua recentiore educandi disciplinam, quam aduersarius meus longe multumque præferendam existimat, eadem fide, quam religiosissimus quisque inimico uel infensissimo debeat, *Vobis* describere pollicitus sum. Nolite tamen uereri, ne in illa tractanda nimis sim copiosus, aut ejus descriptione limites, orationi præscriptos, transgrediar, ego ipse fere inscius atque ignarus sum, in quo consistat uerum ejus pretium. Quidquid *coniiciendo* assequi potui, cernitur in eo, ut alia habeat cum ueteri educatione communia, *alia*, quæ sibi soli possit uindicare. Ad illa refero attentionis exercitationem, linguæ patriæ culturam, et christianorum sensuum instillationem. Quis est, qui tam egregie hospes et peregrinus sit Christianæ scholarum, quæ dicitur, disciplinæ, aut tam obduratus contra ueritatis confessionem neget, quemcunque scholæ magistrum, ueteri educandi rationi addictum, omnia in eo posita putare, ut, quia alioquin uel exquisitissima et doctissima institutio nihil omnino præstet, animos tam puerorum, quam iuuenum, contineat? inseruit illorum captui, ne difficultatibus, uires audientium nimis excedentibus, ipsos deterreat, aut rei discendæ fastidium creet, refert omnia ad uitam communem, illis ut exinde lux affulgeat, studet exemplis, doctrinam suauitate condientibus, utitur collationibus, a rebus, in sensus incurrentibus, petitis, grauius commendat scientiæ utilitatem atque necessitatem, mutat maxima celeritate quæstiones, et partes respondentium, inspergit iocos, muneris sui dignitati non repugnantes, laudat industrios, carpit negligentes, hortatur pigros, et quidem hæc omnia tanto, non tam studio, quam potius feruore, ut discipulis ne minimum quidem, inter docendum, concedatur animi relaxandi otium. Iam, quid gloriatur recentioris educationis præco de linguæ patriæ cultura? tantæ potius necessitatis, linguæ germanæ quod impenditur, studium, iudicat pristinae scholarum disciplinæ fautor, ut exploratissimum habeat, illud uel grauisimis ludorum negotiis esse annumerandum, neque tam præclarum esse, scire germane, quam turpe nescire. Hinc maximam curam adhibet in corrigendis scriptorum et græcorum et romanorum interpretationibus, ut disciplinæ alumni ne minimum quidem contra Grammatices elegantiam, linguæque patriæ urbanitatem, committant uitium, quid? quod, ipsis discipulis occasionem præbet exercendæ



dae scribendi facultatis. Eiusmodi exercitationi quid adhuc desit, ego sane, ut ignorantiam fatear, non uideo, nisi fortasse desideretur lectio cuiuslibet libelli, germane scripti, siue consulat, siue aduersetur animi integritati? haec nempe tristissima luctuosissimaque aetatis nostrae pestis, haec temporum nostrorum lues est, ut is ingenium egregie nutriuisse putetur, qui bellis literis, quae dicantur, scriptis Romanensibus, ludis scenicis, & carminibus Anacreonteis, iudicium acuerit, sensumque pulchri & uenusti auxerit, sed futurorum temporum conditio, summo posteritatis detrimento, comprobabit, quae uulnera haec friuola opinio bonis literis artibusque liberalioribus inflixerit. Sensuum denique christianorum instillationi quid obsit pristina educandi ratio, multum abest, ut intelligam, ut potius persuasissimum habeam, recentiore, quam nimium quantum extollant, multo minus ad consequendum hoc saluberrimum conferre consilium. Qui enim in Graecorum & Latinorum libris nihil aliud uidet, nisi uerba singula, dicendique formas, aut solos ritus antiquos & historias, quique in iis illustrandis maxime occupatur, is sane eruditionis, neque iniucundae, neque inutilis comparandae facultatem dederit, ad uirtutis honestatisque cultum nihil admodum profuerit studiosis, non facile uero quisquam reperitur, qui tam angustis finibus humaniores literas contineri putet. Nemo non prudentiorum pristinae aetatis magistrorum interpretationem horum scriptorum retulit quoque ad illa, quibus intelligendis ac percipiendis ingenia ad altitudinem sentiendi & cogitandi attolli, & animi ad magnitudinem augeri, fortitudinemque firmari & corroborari, rerum denique diuinarum uirtutisque amore incendi posse uiderentur. Ad inspirandum uel uirtutis amorem, uel uitii odium, quid maioris efficaciae esse potest, quam haec instituendi disciplina, quae omnia, quantum potest, comparat cum literis diuinis, & quanto ibi maiora illa sint omnia, & certiora, admonet, quaeque in inuestigandis diuinae sapientiae, bonitatis, iustitiae, prouidentiaeque documentis, in excitanda uirtutis admiratione, uitiorum uero scelerumque fastidio iniiciendo, eo uocis sono, eoque uultu magistrum loqui ac disserere iubet, ut ipsum quoque commotum esse, appareat? Quae omnia cum ita sint comparata, Auditores Humanissimi, quid habet recentior educatio, de quo, praeter ueteri, sibi gratuletur? tria haec, quae scriptor iste Reseuitii, in illa praedicanda, mirum quantum exaggerauit & amplificauit, *attentionis exercitatio, linguae patriae cultura, & Christianorum sensuum instillatio*, non eiusmodi sunt, ut etiam ueteris educationis sint propria? uana, mihi credite, uen-



uentum sumumque, ut loqui solemus, uenditant, qui his ex rationibus illius laudes augeri cumularique iudicent, digna proferunt, quæ, nisi iuuentutis institutio multo grauioris pretii atque ponderis esset, risu excipi mereantur? Quid igitur est, quod recens educatio sibi possit uindicare, quodsi hæc omnia cum ueteri habet communia? nonnulla ut nominari queant, necesse est, propterea quod pleno ore laudatur, tantaque fama celebratur! Equidem, ob ingenii tarditatem, an rei tractandæ subtilitatem, nescio, equidem, inquam, non plura in illa iudicanda reperi, nisi *Naturalismi initia*, *Socinianismum*, atque *Arrianismum*, et, quæ adhuc dicenda restant, ea opinor testabuntur, me non odii rabie atque inuidentiæ malitia incensum, eo feruoris in uituperando progredi, ut iniustam maculam illi adspargere uelim. Expressis uerbis, neque ulla ambiguitate laborantibus, aduersarius meus nobis omnibus ludorum magistris hoc suadere sibi proposuit, ut inde a naturali Numinis cognitione, ex huius uniuersi contemplatione haurienda, inciperemus, neque prius discipulos ad fontes institutionis diuinæ deduceremus, quam ardentissimum illorum desiderium in animis ipsorum fuisset excitatum. Sic *Timothei* exemplum, qui inde a prima pueritia literarum diuinarum intelligentia erat imbutus, quemque eo nomine ipse *Paullus* felicissimum prædicat, imitatione indignum redditur, et ipse multo maioris sanctitatis gloriam esset affecutus, si a matre atque auia ad naturalem Dei notitiam fuisset formatus! sic *Ruffauii*, quem supra iam nominavi, sapientia multo præstantior explendescit, quam *Paulli*, neque hic religionis *Christianæ præco*, diuino afflatu impulsus, sed iste *Gallus*, feruida & extumescente phantasia corruptus, dignissimus nobis proponitur, quem in instituenda pueritia atque iuuentute sequamur! sed quid putatis, *Auditores*, magis dolendum, quid *Vobis* magis pestiferum uidetur, quam hoc, quod *Socino* atque *Arrio* uia munitur, qua ducantur ad scholas? satis perspicua consecutione hoc non solum exinde colligitur, quia scriptor iste *Reseuitianus* ueterem educationem eo nomine reprehendit, quod pueris doctrinam de tribus, ut Theologi loqui solent, in essentia diuina personis, de duabus illis unius harum personarum naturis, atque de fiducia in illius uulneribus & sanguine ponenda, tradit, sed etiam exinde idem illud sequitur, quia in sequentibus, ubi de iuuenum institutione disputat, easdem doctrinas silentio prætermittit, omnes alias, quarum agnitionem iuuenibus necessariam censet, copiosissime referens atque describens. O funestissimam disciplinam! euidenter elucet, aduersarium meum his doctrinis

uiam



viam ad scholas intercludere? in luctuosissima sane tempora ætas nostra incidit, dum non desunt uiri, qui pueros iam atque iuuenes istiusmodi opinionibus capere atque irretire uelint, quæ proxime repugnant oraculis, ab ipso Deo ad nostram institutionem reuelatis! ego uehementissimo terrore percellor atque percutior, cum perpendo rationem, ipsi Deo aliquando reddendam, si innocentes discipulorum animos istiusmodi erroribus, infecissem, qui clarissimis, atque intellectu facillimis librorum diuinorum locis aduersantur, ipsosque libros illos auctoritate diuina priuant. Sed, ne longius abeam, hoc tantum spectauit oratio mea, ut parentibus dubiis atque ignaris, quam institutionis normam eligerent, ueterem, an recentior, descriptione utriusque in iudicando succurrerem. Fidelissimi quique igitur parentes, qui æternæ liberorum felicitati uere atque integre consulere uelint, facilius nunc, ut spero, explorare possunt, quam uiam ingredi debeant, liberos si salutis perpetuæ participes, seque ipsos in illa curanda innoxios, omnique culpa uacuos reddere constituerint. De me, ego nunquam patiar ab ullo me abripi, eandem uiam semper præferens, quam huc usque duo fere de uiginti annos in fingendis formandisque iuuenibus secutus sum, nihil unquam impedit, quo minus *ueterem disciplinam atque educationem recentiori iure meritoque anteponendam censeam.*

Sed nunc opus est, ut animum, quem tam diu compressi, ab omni uinculo liberem, ad gratiarum actionem uotorumque integerrimorum nuncupationem promptissimum. Accipiatis igitur, *Consules Magnifici, Vosque reliqui Viri Iuris Consultissimi atque Excellentissimi, Maecenates splendidissimi*, accipiatis, inquam, gratias obseruantissimas pro insigni & perhonorifica beniuolentia, cuius luculentissima documenta mihi exhibuistis. *Vos* enim non solum hac fiducia me ornastis, ut Directoris huius Gymnasii munus mihi benignissime demandaretis, sed etiam eo munificentia, nunquam satis a me prædicandæ progressi estis, ut me aduenientem multis beneficiis cumulareretis, fortique meliori meæ tam insigniter prospiceretis, ut liberalitate *Vestra* obrutus, quid mihi amplius optandum sit, nesciam. Animi ingratisimi culpam mihi conflarem, si in gerendo munere *Vestra* fiducia atque munificentia me indignum redderem, sanctissime potius *Vobis* polliceor, me omnem operam omnemque assiduitatem ad id esse collaturum, quo, Numinis adiumento innixus, fide atque sinceritate opinioni de me conceptæ respondeam. Persuasissimum habeatis, me nihil prius nihilque anti-



quius esse habiturum, quam ut iuuentutis, institutioni meae commissa, totiusque Gymnasii saluti maxima integritate consulam, nihil enim est, quod magis curae cordique habeam, nisi hoc, ut & religionis, & patriae commodis inseruiam. Rationis, Deo & parentibus reddendae, nunquam ero immemor, et, quantum in uiribus meis erit positum, tantum conferam ad id, quo salus publica disciplina scholastica stabiliri confirmarique possit. His promissis, quibus sanctissime stabo, adiungo uota religiosissima. *Vos, Consules Magnifici, Vosque reliqui Maecenates Reuerentissime colendi, Vos omnes ac singulos Deus immortalis seruet atque constodiat, et, quae in publica soletis commoda constituere sapientissime, omnibus tam felicem successum largiatur, ut diu per Vos Vestrisque sub auspiciis, stet Zittauia, uigeat, floreat, tantorumque Virorum tutelae atque custodiae se esse commissam, eam agnoscat nunquam non felicitatem, laudet, praedicet. Praecipue uero illos Vestrum, Maecenates obseruantissime colendi, quorum singulari curae Gymnasii huius incolumitas & salus restituenda commissa est; quosque insigni Scholarcharum Grauissimorum honore prosequor, illos, inquam, prouida summi Numinis cura tueatur, ut diuturna fruantur & bonis quibuslibet affluente uitae huius usura, utque sub talium Virorum inspectione ipse documenta in dies maiora exhibere possim, quod me huic Gymnasio uoluerunt praefectum, ea re haud sinistre eidem fuisse consultum.*

*Vobis deinde, qui sacrum ornatis ordinem, Viri summe Venerabiles, non possum non reuerentiam testificari, qua merita Vestra in rempublicam Sacram iam dudum profecutus sum, neque unquam non prosequar. Patiamini, me Vos decenter rogare, ut, suggestus sacri & scholastici, templorum atque scholarum, cum sit uaria quaedam necessitudo, ea me beniuolentia amplecti uelitis, qua eum esse dignum existimabitis, qui colit Vos & obseruat. Dominus autem ille, cuius serui nos omnes sumus, Vobis praesto sit auxilio potentissimo in administrandis muneribus Vestris, iisque grauisimis, annos iubeat Vestros ad summam usque escendere senectutem, augerique in dies, quanta, quanta sunt merita Vestra, meritisque ornamenta parta gloriae, & felicitatem denique Vestram firmam esse atque stabilem, et, quod in hoc mortalitate fas est, consummatam.*

*Iam uero Vos alloquor, Viri Clarissimi, qui Doctorum munera hoc in Gymnasio multa cum laude exsequimini, Fautores, Collegae, atque, uti spero, Amici Coniunctissimi, Aestumatisissimi, Te praecipue, Vir Praenobilissime*



*sime, Gymnasii Conrector Doctissime, atque Te, Subrector Meritissime. Quanta* lætitia recreer, quod, *Vestro* auxilio suffultus, iuuentuti fingendæ formandæque in posterum operam dem, uerbis *Vobis* exprimere nequeo. *Vobis* me totum trado, tanquam illum, qui animi integritatem *Vobis* semper testabitur. Amicitia uinculo eoque arctissimo animos nostros constringamus, ego sollicite de eo laborabo, ut *Vos* in dies certiores faciam candoris atque sinceræ consuetudinis. Quidquid in uiribus nostris erit collocatum, id omne ad augendam Dei gloriam, felicitatemque iuuentutis nobis traditæ firmandam conferamus, munerum nostrorum molestias, si quæ sunt, mutuis officiis nobis subleuemus, ego *Vestris* commodis inferuire, *Vobis* placere, *Vobis* probari, a *Vobis* diligi, id in præcipua quadam felicitate ponam. *Vobis* adiutoribus, hoc, quidquid est, alo spei, fore, ut ne male merear, adspirante gratia supremi Numinis, de hisce, qui curæ sunt nostræ traditi, iuuenibus. Deus, qui cultum suum largissimis præmiis compensare uult, *Vos* adiuuet in superandis omnibus laboribus, et animi & corporis uires, ad munera *Vestra* necessarias, *Vobis* subministret sufficientes, ipsamque disciplinam atque institutionem *Vestram* dulcissimos suauissimosque fructus ferre iubeat. Sic sancte coletur religio! Sic denuo efflorescet Gymnasii gloria! sic exsultabit patria!

Quot quatumque uero est, quod *Tibi, suauissima Zittauia*, apprecer! uereor, ne patria uulnera, belli calamitate *Tibi* inflictæ, recrudescant, alioquin *Tibi* testarer animi mei luctum atque squalorem, a quo pæne suppressus est, cum reliquias splendoris *Tui* pristini uiderem — uix lacrymas atque gemitus comprimere potui. Excipias me peregrinum humanitate *Tua*, iam dudum apud exteros cognita, ego nihil nunquam intermittam, quo et *Tibi* placeam, et filiis *Tuis* consulere possim. Deus, *suauissima Zittauia*, pro salute *Tua* uigilet, præcipue uero *insigni mercaturæ Tuæ* adsit, cuius membra perhonorifica munificentia præclarissimæ documenta Gymnasio huic exhibent! Omnia pericula pro clementia sua immensa a moenibus *Tuis* propulset, cuicumque ciuium *Tuorum* largiatur benignissime, quidquid ad ueram felicitatem conducat, et, quo uulneribus *Tuis* mederi potest, id omne breui cumulatisime largiatur!

Denique ad *Vos* me conuerto, *Iuuenes in spem religionis, patriæ, & parentum succrescentes, meæque amantissimæ in posterum deliciae*. Faustum sit illud atque felix, quod publice hic *Vobis* proponor primum! Equidem,



in me quantum erit, per diuinam gratiam committam sane nunquam, ut fefelisse dicar *Senatui Magnifico* fidem hanc, a me, testibus *Vobis*, hodie datam, Poenarum quidem in *Vos* iura mihi concessa sunt, sed sic *Vobis* uelim persuadeatis, quantum mihi sit odii erga ignauos, petulantes, malignos, tantum esse amoris erga eos, qui frugi sunt, et pie, sincere, ac strenue id, quod ipsorum est, peragunt, idque me tantum exoptare, *Vestrum* ne sit ullus, quin solo oderit peccare amore uirtutis, & ab omni sit poenæ formidine immunis. *Vestra* industria, quod facturi certo estis, *Vestro* uirtutis studio, *Vestra* in Deum, parentes, et præceptores pietate conatibus succurrite meis; atque in illo fingendi *Vos* graui negotio, uti ceteros doctores *Vestros*, ita me quoque subleuate. Hoc fieri ipse Deus iubet, cui, quæ reddenda est ratio, non sine sacro quodam horrore cogitabitis semper, hoc patria iubet *Vestra*, hoc parentes iubent, hoc propinqui, hoc boni omnes, quorum sibi quilibet eorum partem, quæ insunt *Vobis*, bonorum iure meritoque uindicat, hoc denique, si & addere illud licet, incredibilis quidam meus erga *Vos* omnes ac singulos amor poscit, desiderat, efflagitat.

Te, *Deus immortalis*, Te, qui creator es unus omnium, ac procurator bonorum maximus, Te super iuuenum hac mihi traditorum supplex imploro lætissima corona. Tu duc eos ipse in omnem ueritatem, et coepta eorum singula secunda! suscipe illos, eosque in dies lætius, adolescere iube! Instrue me, quem Tibi seruum uocasti, instrue me, iis ingenii dotibus ac corporis, quas Tuo nutu munus mihi traditum requirit! Fac, o *Domine*! qui cuncta dirigis, ut labores in posterum mei ualeant ad nominis Tui laudem atque gloriam, ad communem reipublicæ utilitatem, ad salutem denique horum, et, qui ipsis successuri sunt, discipulorum meorum! Adsis mihi semper, *alme Parens*, gratia Tua ac spiritu, ut cum fructu queam implere munus mihi traditum, et tibi gratos reddere atque acceptos iuuenes, quos mihi commisisti. Tuere in omne tempus hanc tui spiritus, sapientiæ, bonæque mentis officinam, et ei incolumitatem, otium, incrementa largire! Has Tu, *Pater*, preces ita ratas habeto, ut omnis sapientiæ auctor es, utque Tuus Te nobis filius morte sua placauit!

4 A 7484







